

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 3. Dubia ab hoc Concilio Pontifici proposita hujusque responsa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](#)

Sæcul. XVI. dem hoc Concilio innovabantur statuta
A.C. 1581. jam antea condita circa Scholarum, &
 Seminariorum regimen, atque erectionm, necnon circa modum eorum re-
 ditus impendendi.

§. III.

*Dubia ab hoc Concilio Pontifici propo-
 sita, hujusque responsa.*

Labb. p. 871. Insuper in hujus Synodi actis reperiuntur responsa Pontificis ad tredecim dubia, circa quæ præfati Concilii Patres Papæ consilium expetebant, porro horum primum sedendi Ordinem, ac prærogativam inter Episcopos concernebat, ad quod Papa respondit, *in actibus Conciliorum Provincialium attendendum esse tempus ordinationis Episcoporum, non autem dignitatem, aut Ordinem Ecclesiastarum.*

II. Definiebat Pontifex, Abbates commendatores inter ceteros Abbates regulares recipiendos esse, eisque deliberativum suffragium competere.

III. Decidebat Canonicos Cathedra-
 lium Ecclesiarum præferendos esse, quando
 capitulariter procedunt, Abbates vero be-
 nedictos, & qui usum mitræ habent, præ-
 cedere commendatarios, ac post hos locum ob-
 tinere dignitates, & post dignitates collo-
 cандos esse procuratores.

IV.

IV. Cum Synodus quæreret, an Monasteria, aliquique exempti provincia-
libus Episcoporum Conciliis interesse te-
neantur, Pontifex reposuit, *non teneri,*
nisi eos, qui de jure, vel consuetudine in-
teresse debent, capitula tamem Ecclesiarum
Cathedralium specialiter invitanda esse: ob-
ligari autem ad decreta Concilii provincialia
omnes, qui Episcoporum jurisdictioni sub-
duntur, exemptos etiam in casibus, in
quibus a jure communi, & Concilio Tri-
dentino specialiter Episcopis, aut Concilio
provinciali in ipsos potestas attributa est, &
contra inobedientes juris remediis proceden-
dum.

SÆCUL. XVI.
A.C. 1581.

V. Circa suffragia, quæ Abbatibus
Commendatariis, ac Capitulorum De-
putatis, necnon Episcoporum Procura-
toribus competunt, Papa suam men-
tem his verbis exposuit: *Abbates, Com-*
mendatarii, Capitulorum Deputati, vo-
cem duntaxat consultivam habent, Episco-
porum tamen Procuratores possunt, si Con-
cilio provinciali placuerit, etiam decisi-
vam habere.

VI. Interrogabatur, qua ratione
agendum esset cum Calvinistis ad Ec-
clesiæ finum revertentibus, aut in hæ-
resi Baptizatis, num Baptismi ritus sint
supplendi? hanc quæstionem Papa hoc
modo dissolvit, dicens, *ceremonias Ba-*

A 3

ptismi

Sæcul. XVI. *ptismi supplendas esse, præcedente in adultis
abjuratione hæresis, & reconciliatione.*

VII. Patres sciscitabantur, an exacte standum sit Tridentinæ Synodi decreto circa æratem promovendorum ad Sacerdotium, vel utrum attenta Sacerdotum, qui Ecclesiis deservirent, penuria, dispensationis beneficio utendum sit? ad hoc dubium Papa ita respondit: *Indulgebitur facultas dispensandi cum haec tenus promotis: de cetero intellecta necessitate, seu utilitate Ecclesiarum, singulatim dispensabitur.*

Ceterum quamvis Synodus non declareret, quibusnam hæc dispensandi facultas fuerit indulta, id tamen Episcopis fuisse concessum sat vero simile videtur, eoquod hi hanc gratiam petierint.

VIII. Rogabatur Pontifex, ut residentiæ legem juris divini esse decidat, si nulla legitima caussa ab hac lege ad certum tempus excuset. Verum hoc dubium Papa dissolvit, inquiens, *id esse declaratum, & amplissime provisum per Contilium Tridentinum, hinc illius decreta obseruentur.*

IX. Dubitabant Patres, an Parochia cujusdam Ecclesiæ Collegiatæ, vel Cathedralis cuidam Beneficiato concedi possit, quando illius reditus ad ejus sufftentionem, & victum non sufficiunt?

Ve-

Verum Papa paucis ita respondit: quo- **Sæcul. XVI.**
ad retentionem paræcice cum canonicatu, **A.C.1581.**
pro necessitate, & utilitate Ecclesiarum,
& regionis, in casibus particularibus pro-
videbitur.

X. Percunctabantur Patres, an Episcopi in casu hæresis juxta Synodum Tridentinam reservato absolvere valeant, quamvis id videatur esse contra Bullam *in Cæna Domini*, & reservacionem a Pio IV. & Pio V. factam? Circa hanc quæstionem Papa suam sententiam his promebat: *Pro necessitate provinciæ concedetur ad tempus hæc facultas absolvendi juxta decretum Concilii Tridentini, cui magis visum fuerit.*

XI. Requirebant, qua ratione agendum sit cum Virginum monasteriis, ubi clausura est introducta, cum plures se voto clausuræ minime obstrinxisse, atque ab hac lege exemptas esse cauſſentur, nec unquam ingressuras monasterium dicerent, si audivissent, ullam fuifſe clausuræ obligationem, unde pleraque minarentur, se potius reversuras ad sæculum, quam passuras eandem clausuram. Ad hoc sic respondit Pontifex: *Executioni demandentur decreta Concilii Tridentini, & Bullæ summorum Pontificum, quibus sublata sunt omnia privilegia, & fundationes.*

Sæcul XVI
A.C. 1581

Duodecimum dubium concernebat Capitulorum exemptiones, in quibus nec Ecclesiastica disciplina restaurari, nec corruptelæ tolli poterant, hinc Patres Pontifici hæc exponebant: *Exemptiones nequeunt ad moderationem Concilii Tridentini reduci propter Capitulorum resistentium multitudinem, eorundemque potentiam. Episcopi Rotomagensis provinciae consenserunt salvas manere exemptiones, ne propter eas Concilio provinciali poneretur obscurum: sed salvis illis viderunt jam sibi viam paratam a Domino Metropolitanu, ad ingrediendum Capitula, & eis præsidendum, in ipsiusque reformatum omnia; nam antea Archiepiscopi nostri impetrarunt a Sede Romana bullas ad uniendum Canonicatum, & præbendam Archiepiscopatui, ut ita Archiepiscopus tanquam Canonicus intraret Capitulum, quoties vellet, & in ipso præsideret, quo jure nunc etiam utitur. Supplicant humillime Episcopi Sanctitati suæ, ut dignetur omnibus ejusdem Provincie Episcopis bullam communem conserre ad uniendum Episcopatui Canonicatum, & præbendam, quam vacantem diligere voluerint, ad instar unionis Archiepiscopo Rotomagensi dudum concessas. Ad hanc petitionem hæc reposuit: habebitur hujus rei ratio, & prout singulis Ecclesiis magis expedire visum erit, prævidebitur.*

Deni-

Denique in decima tertia difficulta- Sæcul. XVI.
te supplicabant Pontifici, ut dignaretur A.C. 1581.
*supplicationes in decretis hujus Concilii sibi
factas benigne suscipere, & omnia cum se-
minariis, prout sibi videbitur, confirmare,*

Annuit equidem huic petitioni Pon-
tifex, prius tamen hujus Concilii de-
creta a Cardinalibus Congregationi sa-
cræ Tridentinæ Synodi præpositis exa-
minari voluit: porro hi quædam im-
mutarunt, ac nonnulla demerunt, alia-
que addiderunt, absoluto autem eorum
labore summus Pontifex hujus Concilii
statuta rata habuit edito diplomate die
decima nona Martii anno Domini mil-
lesimo quingentesimo octogesimo secun-
do. Denique provincialis hujus Con-
cilii actis in Normannia celebratis sub-
scripsere Carolus Cardinalis Borbonius,
Archiepiscopus Rotomagensis, Primas
Normanniæ, Bernardinus de S. Fran-
cisco Episcopus Bajonensis, Ludovicus
du Moulinet, Episcopus Sagientis, Clau-
dius de Sanctes Episcopus Ebroicensis,
& Joannes de Vasse, Episcopus Lexo-
viensis. Hæc etiam acta præfatus Clau-
dius latine reddidit, atque publici ju-
ris fecit.

§. IV.

*Rupellense Conciliabulum a Calvinistis
celebratum.*

A.5

Parie